

lin. longae, lineari-lanceolatae, aliae trinerviae, omnino membranaceae; aliae uninerviae, margine late scariosae, omnes apice penicillatae. Ligulae albae, 3 lin. longae; flosculi dioici  $1\frac{1}{2}$  lin. longae luteae. Pappus sub florescentia flosculis brevior, albus. — Habitus fere *Tripolii uniflori* mihi (*Tripolii conspicui* var.!) a quo tamen primo adpectu ligulis omnino albis, foliis caulinis brevibus, frequentibus, sensim in bracteas abeuntibus differt, ut taceam characteres generis.

546. **Senecio pratensis** Ph. S. fruticosus, glaber; caule tereti, vix striato; foliis oblongis (21 lin. longis, 6 lin. latis) pinnatifidis; pinnis circa 10-jugis, linearibus, peracutis, subfalcatis, omnibus integerrimis; corymbo paucifloro (floribus circa 12); pedicellis paucibracteatis; involucri campanulati squamis circa 12,  $3\frac{1}{2}$  lin. longis, apice penicillatis, margine scariosis, disco brevioribus; ligulis circa 8; achaeniis cylindratis, setuligeris, elongatis.

In prato quodam montium *Pullele* dictorum praedii mei S. Juan invenit filius Fridericus. — Cum *S. glabro* fere omnibus notis convenire videtur, sed habitus distinctus, et foliorum forma valde abhorret; praeterea corymbi pauciflori; pedunculi erecti, conferti, achaenia ut videtur duplo longiora. Matura non vidi.

547. **Sonchus rivularis** Ph. S. perennis, caule elato, stricto, glaberrimo; foliis sagittato-amplexicaulibus, omnibus pectinato-pinnatifidis, margine spinuloso-dentatis; auriculis peracutis; corymbo umbellato, polycephalo, in axillis gossypino; pedunculis (praeter floccum gossypinum juniorum) involucrique glaberrimis; achaeniis . . .

In glareosis fluminis *Mapocho* prope Santiago inveni. Caulis 4-pedalis, basi 4—6 lin. crassus, simplex, strictus; folia erecta, media caulis 5 poll. longa, cum laciniis 2 poll

lata, rhachis eorum sc. modo 3 — 4 lin. lata; pinnae circa 5 — 6, inter se distantes, modo  $1\frac{1}{2}$  lin. latae; basis auriculata fere pollicem lata, lobis 6 lin. longis, margine dentibus peracutis armata. Etiam folia suprema pectinata et sagittata, auriculis latis. Bractee inferiores e basi lata, spinuloso-ciliata subulatae et integerrimae. — Caule elato, foliis sagittatis etc. cum *S. palustri* convenit, a quo pedunculis involucrisque glaberrimis, minime hispidis differt. Involucris pedunculisque glabris cum *S. uliginoso* Marsch. Bieb. convenire videtur, sed ab hoc foliis pectinatis et sagittatis differt. Minor ei affinitas cum *S. arvensi* est, a quo foliis pectinatis, involucris pedunculisque glabris, minime hispidis statim dignoscitur.

548. *Lysimachia umbellata* Ph. L. glabra; caule erecto fere a basi florente; foliis alternis, oblongis, utrinque aequaliter acuminatis, basi in petiolum brevem attenuatis, integerrimis; pedunculis axillaribus, folia et superiores bractee aequantibus, filiformibus, flores 6 — 9 umbellatos gerentibus, pedicellis filiformibus; calyce quinquepartito laciniis lanceolatis cuspidatis; corolla lactea rotata calycem bis aequante; staminibus 5, annulo brevi, membranaceo unitis.

Prope *Corral*, Portum Valdiviae, invenit indefessus *Kraussius*. — Caulis pars quae suppetit, pedalis, angulata; folia glaberrima, praeter nervos paginae inferioris pilis articulatis obsitos, glandulis rubris aspersa, majora 3 poll. longa, 10 lin. lata, superiora sensim minora, demum bractei-formia, linearia. Pedicelli ad basin bracteola subulata,  $1\frac{1}{2}$  ad 2 lin. longa fulti, circa 5 — 6 lin. longi. Lacinae calycinae  $1\frac{1}{3}$  lin. longae, glandulis rubris obsitae. Lacinae corollae oblongae, acuminatae, mucronatae, ciliatae, basi glandulis nonnullis rubris adpersae. Stamina petalis opposita, filamentis filiformibus,  $\frac{2}{3}$  corollae aequantibus rectis;